Latus eius aperuit, et exivit sanguis et aqua.

✠ Lectio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 19, 31-37

31 Iudǽi, quóniam Parascéve erat,
ut non remanérent in cruce córpora sábbato,
erat enim magnus dies illíus sábbati,
rogavérunt Pilátum,
ut frangeréntur eórum crura,
et tolleréntur.
32 Venérunt ergo mílites
et primi quidem fregérunt crura
et altérius, qui crucifíxus est cum eo;
33 ad Iesum autem cum veníssent,
ut vidérunt eum iam mórtuum,
non fregérunt eius crura,
34 sed unus mílitum láncea latus eius apéruit,
et contínuo exívit sanguis et aqua.
35 Et qui vidit, testimónium perhíbuit,
et verum est eius testimónium,
et ille scit quia vera dicit,
ut et vos credátis.
36 Facta sunt enim hæc,
ut Scriptúra impleátur:
«Os non comminuétur eius»,
37 et íterum ália Scriptúra dicit:
«Vidébunt in quem transfixérunt».

Verbum Dómini.